In altera.

Concordiæ symbolum licet conspicari. Duæ coniunctæ sunt manus ad caduceum mediū inter palmæ lauriq; ramulos transuersim supra se inuicem positos. Latera præterea religionis signis sunt signata, sympullo, pateraq; lituo affixa. Sub quibus omnibus legitur. AVGVSTI DIVI F. Nummus hic æneus mediocri amplitudine à me Geneuæ in Allobrogibus apud quendam nobilem Gallum conspectus est.

In una parte.

16. Julius delineatus est, sine ullo redimiculo capitis, ad sinistram partem obtutu uerso, cum inscriptione. DIVI IVLI.

In altera.

Lupa sinistrorsum tendit, supra quam legitur. ILERDA. Hic æreus nummulus apud Amerigium Amerigij Bononien. mihi commonstratus est Venetijs.

In una parte.

17 Victoriæ imago, capillo leuiter passo, ad sinciput adnodato, cum talibus literis ob os descriptis. CAESAR DIC. TER.

In altera.

Minerua galeata, Ægide, Medusæq; capite sculpto clypeo munita, necnon tunicata, dextrorsum pergit, humero dextro Trophæum ex hoste receptum gestans. Ante quam

Erychtonius